

manifestis, quæ semper & in omnibus opposita sunt.

*De fructibus & messe mineralium.*

CAP. IIII.

**H**AVD aliter quàm terræ fructus omnes super terram, & in aere suam messem & autumnum habent in sua generatione, iuxta prædestinatum terminum, aquei fructus, mineralia videlicet, suo leguntur maturitatis tempore. Germinante siquidem radice minerali primùm, exurgunt in suum truncum & arborem, id est in corpus ex quo mineralia vel metalla tandem producuntur; quemadmodum nux aut cerasum non immediatè nascitur ex terra, sed primò arbor, ex qua demum fructus generatur; natura similiter in elemento aqua minerali edit arborem, id est corpus aqueum: ista nascitur in terra, hoc est, terræ poros replet, quemadmodum aerem implet ipsa terra. Ex ea demum fructus enascuntur iuxta naturam atq; proprietatem suæ speciei; ad extremitates ramorum, copiosius parciúsve, vt in euidentib. continge-

tinge-